

18. *Causa ergo facta mutationis alia fuerit auctori, necessum est, quam Fabritius in sua Harmonia justo acerbius & vehementius perstringit, his verbis: Luthero verba Servatoris, de praesentia sui corporis & sanguinis in Eucharistia erant manifestoria, quam ut eam negare auderet, sed Melanthoni non defuit malitia, ut eam rem perficeret, tandemque ad illos accederet, quos Elias Germanicus (sic B. Lutherum scurra appellitat) velut insanatos & peratanatos condemnasset. Nam Calvinistae & Zuingliani toties à Confessionis Augustanae propugnatoribus condemnati, suum dogma Sacramentarium volunt jam etiam esse Articulo hoc decimo inclusum, respicientes scilicet ad eam variationem, quam Melanthon anno 1540. molitus est.*

19. *Nos, pijs defuncti parcentes manibus, in medio ista nunc libenter relinquimus; modò purior Prototypi doctrina de Cœna Domini Ecclesiis nostris sancta ac tecta relinquatur: Quæ qualis sit, mox videbimus.*

20. *Constat autem Articulus iste partibus Confessionis hujus proprijs, Ἰέσει nimirum & ἀντιἸέσει: quarum hæc secus docentium errores damnat: illa verò ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων dilucidissimè proponit. De utraque seorsim agemus.*